



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Quos affectus quis possit elicere ex consideratione quatuor hominis
novissimoru[m]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

CAPUT XV.

*Quos affectus quis possit elicere ex
consideratione quatuor hominis no-
vissimorum.*

I. De Morte.

UBi quis consideraverit mortem, illius vide-
licet necessitatem atque infallibilitatem,
horæ verò incertitudinem, aliasque circum-
stantias, ut dolorem, quem percipiemus ex eo,
quod melius non vixerimus, ingens momen-
tum hujus ultimi transitus, à quo dependet
æternitas beata aut damnata, aliaque similia su-
perius proposita meditationis puncta, mox in
animo illius nascetur :

1. Timor malè concludendi hanc ultimam
vitæ periodum, quæ vel maximos Sanctos per-
terruit.
2. Contemptus omnium visibilium, quod
ea tam modico tempore possidere valea-
mus.
3. Sanctum quoddam odium, aut saltem
minor amor atque existimatio corporis nostri
in escam aliquando vermium evaturi.
4. Desiderium patiendi atque agendi in vi-
ta ista pœnitentiam, ut minorem habeamus
causam timendi horam mortis.
5. Constans propositum ita semper viven-
di, ac si quovis nobis moriendum foret mo-
mento,

I.

Alii-

De
ratione

Aliique sancti affectus, quos anima hæc potest ratione exprimere :

O quàm terribilis hic transitus est, etiam fidelissimis servis tuis, Domine Deus ? quàm ergo mihi formidabilis esse debet ob innumera peccata mea ? Quid obsecro fieret de me, si vel hodie ad tribunal tuum citarer ? cum nondum de meis pœnitentiam egerim peccatis, magnam certè haberem anam de mea desperandi salute.

O mors ! quàm certa pro me es & infallibilis, & quàm incertum, quando, ubi, aut quomodo me invades ? Et tamen de te dependet æterna salus aut infelicitas mea. O quàm felix est ille, qui moritur in gratia Dei, è contra verò, quàm infelix, qui in statu peccati, & antequam ipsum expiare potuerit ac satisfacere, præoccupatur !

Quàm terribilis erit tibi, anima mea, transitus iste ex hac in alteram vitam, nisi vitam aliam institueris ? Qui dolores, quæ amaritudines, qui pavores ac terrores te invadent, ubi Deus ad suum te citabit tribunal, ut omnium operum tuorum exactam reddas rationem ? Ubi unico intuitu coram te conspicias omnia totius vitæ tuæ peccata, simul ac diabolus de te, veluti futurâ prædâ suâ, jam tum triumphantem.

Actum est, mi Deus ; hæc adeo profundè mentem penetrat ac pervadit meam cogitatio, ut jam tum firmiter proponam ta'em vitam ducere, ut mori non metuam. Ex nunc jam cupio perficere omnia opera illa bona, pœnitentias ac mortificationes, quas tunc me fecisse
opra-

optavero. Extremum hocce momentum semper mihi meipsum ob oculos proponam, ut illuc omnes meas referam cogitationes, sermones & actiones.

Eheu! quid est vita hominis, quæ non perdurat nisi ad breve momentum, quamque statim ab hoc momento, imò vel hoc ipso momento mors forsitan abrumpet? Ut quid amamus aut magnificimus res terrenas adeo inconstantes, ut pulveri, quem ventus asportat, persimiles sint? Illorum nobis possessio certa non est, nisi pro unico temporis momento, at earum infelix amor infelicitatem nobis causare potest ac molestiam sempiternam.

Cur quæso in deliciis habebam corpus illud, quod aliquando terræ inhumatum esca erit vermium? Verùm cur non potius illud affligam pœnitentiis atque in omnigenis exercebo bonis operibus, quia hoc unum est, quod ei beatam asserere potest immortalitatem. En desideria ac proposita mea, mi Deus, quæ, obsecro, ut gratiâ tuâ confirmes, atque illa ad majorem tuam gloriam proque tui amore perficiendi animum addas ac media subministras.

2. De Extremo Judicio.

Anima, quæ consideraverit rationem, quam in die illa terribili reddere debet exactissimam, futuram illic peccatorum, quantumvis secretissimorum, evulgationem, pudorem, quem in illo generali conventu subire debet, Judicis severitatem, sententiam æternæ sive felicitatis sive infelicitatis decretoriam,

De
ratione

anima, inquam, illa ordinariè hos perſentifce affectus,

1. Pudoris certi commiſſorum peccatorum, quæ ex apertione libri conſcientiæ, in quo illa omnia ſunt deſcripta, omnibus creaturis manifeſtabuntur.

2. Vivæ apprehenſionis eorum, quæ rationem iſtam exactiſſimam conſequentur.

3. Firmioris propoſiti nihil unquam faciendi in occulto, ex cujus manifeſtatione erubeſcere debeat.

4. Propoſiti quoque certiſſimi ſuarum meditationum conſciendarum, antequam illæ Deo expoſcantur, ſequæ peccatorum debito exonerandi per ſeriam pœnitentiam, ut ita iudicii iſtius rigorem evadat. Quos quidem affectus hac ratione poterit exprimere.

*Sinosmet-
ipſos diju-
dicaremus
non utiq;
judicare-
mur.*

2. Cor. 11.

v. 31.

Eheu! quid faciam? quid dicam? & quid respondebo, ubi publicabuntur omnia peccata mea, præſertim hæc & hæc, quorum ſinerubore nequidem poſſum recordari? quid faciam, ubi conſiſtere debebo in medio iſtius magni conventus infinitæ multitudinis, oculis undique in me conſectis, absque eo quod me abſcondere poſſim aut in minimo excuſare?

Tunc (heu miſerum me & inſenſatum!) tunc, inquam, prodentur omnes artes illæ, quibus ad offendendum Deum, ac proximum circumveniendum, prodendumque uſus fui, totidem ignaviæ, quas equidem eſſe putabam quàm occultiſſimas, quæque jam coram toto mundo pudore me afficerent intolerabili, ſi innotefcerent.

Ombi-

Omninò constituo, firmiterque propono, mi Deus, vitam agere tam in occulto quàm in propatulo adeo veracem & candidam, ut nullam habeam causam metuendi, ne quando illa coram cunctis nationibus in conspectu throni tui congregatis publicetur.

Verùm omninò formido faciem tuam justè irâ accensam, supreme Judex; Heu me! quid fiet, ubi comparere debebo coram Judice tam accurato, tam severo, tamque inflexibili, qui nihil dissimulat, quem nihil latet, quique bona æque ac mala opera examinaturus etiam in iis, quæ justissima nos putamus ac perfectissima, inveniet quod coarguat: Verùm quid fiet de me post istud examen adeo rigorosum? Nunquid audire debebo sententiam illam horribilem adversum me pronuciari: *Recede à me, maledicte, in ignem æternum?*

Abfit, abfit, si tibi placet, mi Deus. Recordare, obsecro, misericordiarum tuarum in die illa terroris ac formidinis. Ne, quæso, perdas animam illam, quam pretioso tuo sanguine redemisti. Quod si, ut tuæ satisfiat justitiæ pro peccatis meis necesse est, ecce paratus sum ad modò præstandam satisfactionem, ideoque jam tum incipio meam ipse rationem inire, atque in meipso ac per meipsum punire totius antea vitæ meæ delicta.

Age, age, anima mea, ex hoc ipso momento pœnitentiam agere incipiamus. Multo enim satius est pro modico tempore pati in hac vita præsentis, quàm in futura

persentiscere debere gravissimam manum Dei non injustè nobis infensi. Ex nunc ergo, mi Deus, constituo me exercitare in austeritate, pœnitentia, & peccatorum meorum accusatione, ut propitiustu mihi fias in illa die iudicii universalis ac decretorii.

3. De Pœnis Inferni.

Eodem modo ubi quis consideraverit pœnas inferni, incredibilem videlicet illum ardorem flammarum devorantium, conscientia vermem, horribilem, ob regnum cœlorum amissum, tristitiam, terribilem cacodæmonum visionem, morsum serpentium, aliaque similia tormenta, eaque æterna, anima ut plurimum, veluti etiam in præcedentibus considerationibus, istos in se persentiscet affectus:

1. Justæ formidinis, ne in abyssum illam æternam detrudatur.
2. Ingentis horroris adversus peccata, quæ damnationis istius causa existunt.
3. Gratiarum actionis, quod fuerit retracta à via perditionis, quæ illuc ducebat.
4. Consolationis medias inter pœnas nostras, quandoquidem cum pœnas meruissemus inferni, Deus illas in temporales ac levissimas hujus mundi commutans, illis est contentus.
5. Propositi sæpius in hac vita cogitationibus descendendi ad infernum, quò ita re ipsa post mortem illuc descendere necesse non habeat. *Descendant in infernum viventes*, ait

Ps. 140. v.
39.

Psal.

Psalmographus, *ne descendant morientes*, adjungit S. Bernardus.

6. Boni propositi hac terribilium tormentorum illorum consideratione sæpius ad vitiorum tentationes reprimendas ac superandas utendi.

Fieri id totum poterit hoc modo: *Formula.*

Quis habitabit ex nobis cum igne devorante? aut quis habitare poterit ex nobis cum ardoribus sempiternis? idque ne tu poteris anima mea? Prò! quàmnam ergo ratione consentire audemus in peccatum, quod illuc nos agit præcipites? O locum omnium, quæ quidem ullibi sunt, horribilium horribilissimum! O flammæ, ardore, furores, tormenta, dolores terribilium omnium terribilissimos! Prò! quantum tibi, mi Deus, displicet peccatum, quod adeo rigidè pœnis tam horribilibus atque æternis castigas? At at nunquid fortassis ego de numero ero illarum prorsus infelicium creaturarum, quarum fors est in loco illo fletus ac stridoris dentium?

Illa quidem gratiarum, quas hæctenus mihi, mi Deus, largitus es, abundantia sperare me jubet, quod non; etenim si perdere me voluisses, usque modò non expectasses. Nimias enim hæctenus id faciendi occasiones meis ego peccatis tibi dedi. Verùm quis scit, utrum illa, quam hæctenus, me tolerando, ac mihi condonando, mihi præstitisti, misericordia non sit aliq uando me dupliciter coram tua Majestate divina reum constitutura? Indubiè ita fiet, si adeo futurus sim ingratus, ut ad priorem meum vivendi modum revertar. Noli, ô mi

De
ratione

Deus, noli id permittere; omninò enim à te in hoc mundo, quantumcumque tibi placuerit, affligi malo, ut mea sic peccata vindicentur, quàm præstolari, ut in vita puniantur futura, ubi pœnarum finis alius nullus est, quàm æternitas.

Gratias ago tibi, mi Deus, quod ab istis me hæctenus præservasti tormentis, ubi à meis me peccatis fecisti resurgere. Eâ enim ratione tantopere me tibi obligasti, ac si ex ipso inferno, ad quem reipla condemnatus fuisset, me exemisses.

Tu verò, anima mea, quidquid molestum tibi occurrerit ac difficile, haud illibenter perfer & obdura, nihil enim est eorum, quod cum inferni pœnis, quas quidem non semel promeruisti, queat æquiparari. Infracto, auge, animo patiamur caloris frigorisve intensioris rigorem, sustineamus generosè austeritates, cilicia & jejunia, contrarietates & injurias, undecumque illæ proveniant, tum ut per istas leviores inferni graviores pœnas evadamus, tum ut hac ratione infinitæ bonitati divinæ, quæ ab illis nos præservavit, gratos nos quodammodo exhibeamus.

4. *De Gloria cœlesti.*

EX gloriæ cœlestis contemplatione, ubi nimirum quis consideraverit loci pulchritudinem, gratæ gloriam societatis, divinas atque inenarrabiles, quibus illic perfundemur, delicias ac voluptates, æternamque in omnibus beatorum felicitatem, sequentes ordinariè nasci solent affectus,

x. In-

1. Ingentis gaudii ad intuitum tantæ felicitatis, pro qua creati sumus.

2. Vivacis illius possidendæ desiderii, ex quo perennis illius nascetur memoria, quæ causa erit, cur indefinenter conversatio nostra sit in cœlis.

3. Spei illuc perveniendi.

4. Contemptus rerum terrenarum, in quibus amabilitatis omnino nihil est, si cum cœlestibus illis comparentur.

5. Consolationis ac lætitiæ in adversitatibus, quæ illuc nobis viam adornant. Exprimi affectus isti hoc modo poterunt.

Lætitia efferor, gaudioque prorsus extrame rapior, Domine, ubi cœlestis illius paradisi tui pulchritudinem attendo. Exprimere amplius nequeo, id quod perferentis; neque etenim oculus vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparasti electis tuis.

Nunquid ea, mi Deus, me manet felicitas, ut absoluto hoc meæ peregrinationis curriculo illuc perveniam, ubi vera est patria mea? O vita unicè desiderabilis, vita deliciosa, vita pura, vita sancta, vita cœlestis, vita divina! Adhæreat lingua mea faucibus meis, si tu unquam oblitus fuero.

Illuc, ô Deus, incessanter desideria omnia mea dirigam, quamdiu in hoc detineri exilio me contigerit: Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: Quanta, inquam, sunt gaudia, quantæ dulcedines, jubilationes, oblectationes, voluptates, abundantia ac super-

Nota.
Affectus
gaudii
magis mihi
sunt,
quam
discursibus
obnoxii.

*Adhæreat
lingua
mea faucibus
meis, si
non me
minero
tui Ierusalem.*

Pf. 136. v.

*o.
Pf. 83. 2.*

De
ratione

abundantia consolationum cœlestium, quæ ex torrente divinarum tuarum deliciarum in justos omnes redundant.

Non moriar, sed vivam. & narabo opera Domini. Ps. 117. v. 17.

Ut hac vitâ æternam vivam, creasti me, Domine, hanc ergo in bonitate tua infinita spem repono, fore, ut mediante gratiâ tuâ illuc aliquando perveniam. *Non moriar sed vivam*, ubi anima mea à meo corpore separabitur. Tunc unâ cum omnibus beatis illis civibus narabo & cantabo misericordias tuas.

Agedum, anima mea, sublimioribus impofterum ac generosioribus cogitationibus occupemur, quandoquidem pro gloria cœlesti creati sumus, vanos illos affectus erga terrenas exuamus, ut rerum cœlestium ac æternarum contemplationi re ipsa intendamus. Illis oblectemur cogitationibus; de illis amemus loqui, & quidquid aliorum eveniat, nunquam à cœlestium consideratione abduci nos patiamur. Ut quid in loco exilii nostri velimus conquiescere, ubi continuæ vicissitudines nil nobis nisi inquietudinis argumenta conciliant? *Ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia.*

Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit. 2. Timoth. 2. 5.

Quod si patienter nobis aliquid in hoc mundo tolerandum est, ut in altero simus beati, venite, venite super me omnes afflictiones, tormenta & persecutiones Diaboli, & omnes in me irruant creaturæ, meque dilacerent ac dilanient, ut aliquando æternâ illâ felicitate potiri queam. Etenim corona est, quæ non datur nisi legitimè certantibus.

Deus

Deus bone! quanta infelicitas, quantus dolor, quanta foret tristitia, si meâ accidisse negligentiam atque ignaviâ deprehenderem, quod tuæ divinæ præsentia, quæ totam cœlestem curiam tantopere oblectat, fruitione privaret? Idcirco ex intimo cordis mei affectu, totoque conatu te rogo & obtestor, ut illam concedere mihi gratiam digneris, ut majori impofterum alacritate ac fervore, quàm hactenus factum fuerit, allaborem, ut mea conversatio tota sit in cœlis, ut ne amplius per istas res terrenas serpam, neque vanæ hujus mundi deliciae me amplius, quàm lutum aut fimus, afficiant.

CAPUT XVI.

De aliis affectibus specialibus, qui elici possunt ex consideratione materiarum Provehentioribus propriarum,

Materiae hujusmodi ordinariae sunt:

1. Virtutes in genere, aut in specie.
2. Mysteria vitæ, mortis, ac passionis Domini nostri Jesu Christi.
3. Sacratissimum Eucharistia Sacramentum.
4. Vita & virtutes B. Virginis aut Sanctorum.
5. Vota, exercitia & sanctiores observantia Religionis.
6. Loca sacrae Scripturae, sententia Sanctorum

rum